



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Gvilelmi Postelli De Repvblica**

**Postel, Guillaume**

**Lvgdvni Batavorvm, 1635**

Cap. VII. De quingentis viris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

72 DE REPUBLICA  
in perpetua dignitate, quoad vita  
& æquitas comes fuerit.

C A P. VII.

*De quingentis viris.*

Οἱ πεντακῆσιοι, quingenti  
viri, nomine ordinis nume-  
rum aperientes, tam dignitate,  
fama, quam officio, secundum  
post Ariopagitas locum obtinue-  
re: quorum apud Græcos autho-  
res ita frequens est mentio, ut  
nulla plane causa, nulla oratio il-  
los non celebret. Hi enim civi-  
lia munera, rerumque actiones,  
de quibus quotidie popularibus  
iis oboritnr, iudicare solebant.  
Tempore functionis ab Ariopa-  
gitis ita differebant, quod hi  
erant διάδοχοι, permutatorii, id  
est, quotannis sorte eligi soliti: il-  
li erant δῖονες καὶ ἀδιάδοχοι. ut  
iam ante dixi. Erant hi quo tem-  
pore iudicabant, quo in munere  
sunt prætores & supræfecti, quos  
bail-

baillivos aut locum tenentes ci-  
 vilem dicimus. Annuo vero spa-  
 tio tantum eam dignitatem ha-  
 bebant, ne (quod nimis crebro in  
 locis non paucis experimento vi-  
 detur) sordes, atque cæteræ quæ  
 inter iudicandum possunt eveni-  
 re corruptelæ, beneficio proro-  
 gatæ dignitatis tegerentur ale-  
 renturque Magnus vero nume-  
 rus faciebat (quod ea de re serva-  
 tur in curiis quas parlamenteas  
 vocant) ne facile quid vitii in  
 consortium irreperet. Verum  
 quia tanta multitudo una & in  
 uno posita loco vix potuisset sua  
 exequi munera, in decem partes  
 dividi solebant secundum tri-  
 buum numerum: quibus singulis  
 quinquaginta viri ex eo nume-  
 ro obtingebant, suoque loco tri-  
 ginta & quinque dierum spatio  
 ius dicere consueverant. Is vero  
 dierum numerus decies repetitus  
 annum lunarem trecentis &

E s quin-

quinquaginta diebus constan-  
 tem, qualem Athenis observare  
 solebant, reddit. Noster vero so-  
 laris illum diebus quindecim &  
 quadrante superat. Propter item  
 copiosam multitudinem ex illis  
 quinquaginta. x. eligebant, quos  
*πρωτοειρητες*, id est, præsides (ut dixi)  
 nominabant: ex quibus ipsis tan-  
 tum septem, per singulos scilicet  
 dies hebdomadis, sortito elige-  
 bantur. Quo die quisque rebus  
 præerat, arcis conservabat claves,  
 dicebaturque *ο επιστατης*, præses,  
 & *τας κλεις τ' ακροπόλεως πισυ-  
 τεις*, cui arcis claves credebantur.  
 Verum de his paulo post. Quum  
 quinquagenarius numerus suo  
 officio fungeretur, vocabatur  
 iam mutato nomine prytania,  
 aut, *οι πρυτανεις*, tanquam à fre-  
 quentiori cura *επιταμιεις των  
 πυργων*, recondendi & servandi  
 frumenti in publicam necessita-  
 tem. Non desunt qui dictos *δωδεκα*

ἢ ἀποταμίαν velint : τὰ ἀποταμίαια  
 vero pecunias publicas esse, quas  
 actor & reus etiam post iusiuran-  
 randum de calumnia (in quo fidei  
 bonæ anchoram ut præscripto le-  
 gum ponimus, ita omnino pa-  
 rum fidei esse videbant) in æra-  
 rium publicum deponere coge-  
 bantur : ut qui causa caderet, di-  
 sceret etiam oppignerata atq; de-  
 posita, nec temere iudicis aures  
 occupare, nec litem iniuste inci-  
 pere, aut alterum iniuria in ius  
 rapere. Licebat enim cuilibet, ad-  
 versarium, advocato teste, qui as-  
 sereret in ius vocatum venire no-  
 luisse, in ius rapere atque trahere  
 nolentem, non modo Athenis,  
 sed & Romæ. Athenis vero pe-  
 cunia deposita, loco testis erat  
 apud Romanos vocari soliti.  
 Proculdubio mea quidem sen-  
 tentia, si præter iusiurandum de  
 calumnia, multa quædam pro li-  
 tis ratione deponeretur, ab acto-  
 re

re præcipue, & ex illo ærario satisfieret iudicibus iustis in causis versantibus, ad hæc inde desumeretur nomine tenuiorum, qui potius perderent suum contra potentiores ius, quam summam deponere possent lite dignam, ut temeritas debilitati consuleret: tolleretur maximum fomentum litium. Quis enim credat ut vel pili faciat sacramentum, qui proximi vitæ, fortunis, famæ demum moliri insidias non erubescit? Verum parum viderer consilere multis sanguisugis, litiumque alumnis. Redeo itaque ad meos Prytanes, quos  $\lambda\pi\theta\ \&\ \pi\rho\upsilon\tau\alpha\iota\epsilon\iota\varsigma$ , id est, à sportula dictos ostendi. Illa pecunia depositis cumulata, iudicibus persolvendis, & illis quibus meriti in rempublicam & virtutis ergo victus dabatur, alendis serviebat.  $\tau\omicron\ \pi\rho\upsilon\tau\alpha\iota\epsilon\iota\omicron\nu$  crebro minabantur fœneratores debitoribus se in  
æra-

ærarium deposituros, ubi plus tempore non poterant amplius petere, ut scilicet miseri debitores ære alieno obruti, cum non possent statim esse solvendo, cogerentur augere fœnus. Huius rei fidem facit Aristophanes in Nehalis, his verbis:

Θήσω πρυτανεί, ἢ μήκῃ ζωῶ ἐγώ.  
*Moriar ni te in ius depositis prytanis voco.* verba sunt fœneratoris ad obæratum. Singulari autem voce tantum τὸ πρυτανείον locus erat in quo iudiciorum causa coibant prytanes, unde nomen. Præterea ubi de Rep. benemeriti diligenter & colebantur & alebantur. Maximum hunc honorem in rep. fuisse, Cic. primo de oratore testis est locupletissimus, ubi de Socrate agit his verbis. Erat enim Athenis reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio. ea sententia quum iudicibus daretur,

tur,

tur, interrogabatur reus quam  
 quasi æstimationem comme-  
 ruisse se maxime confiteretur:  
 quod quum interrogatus Socra-  
 tes esset, respondit se meruisse ut  
 amplissimis honoribus & præ-  
 miis decoraretur, & ut ei victus  
 quotidianus in prytaneo publice  
 præberetur, qui honos apud  
 Græcos maximus haberetur.  
 Hæc Cicero. Hic ordo solebat  
 edicta, decreta, psephismata ( ut  
 Græca voce Cicero dicit ) plebi-  
 scitaque omnia explorare, ac de  
 legibus perperam latis senten-  
 tiam ferre. alioqui enim sine illa  
 providentia facile imperitæ plebi  
 fuisset impositum. plebs enim  
 non raro ea rogat, & probata cu-  
 pit, quæ manifesto in eius ruant  
 perniciem, nisi consilio & pru-  
 dentia coërceatur. Primum ita-  
 que populares pro rerum suarum  
 usu edicta proponebant, quæ sta-  
 tim ab L. viris perpenſa Theſmo-  
 thetis

the  
 qui  
 opu  
 mar  
 in il  
 pop  
 tam  
 in l  
 dice  
 id e  
 ille  
 &  
 scri  
 dro  
 que  
 tra  
 hac  
 nib  
 ann  
 tu,  
 ra,  
 tion  
 in  
 qua



m  
 e-  
 t:  
 a-  
 ut  
 e-  
 is  
 ce  
 id  
 r.  
 at  
 ut  
 oi-  
 de  
 n-  
 la  
 bi  
 m  
 u-  
 nt  
 u-  
 a-  
 m  
 a-  
 o-  
 tis

thetis dabantur , ut iam docui:  
 qui si probassent , incumberebat  
 opus nomophylacibus ut procla-  
 mari & servari curarent. Erat  
 in illum gravissima actio , qui ex  
 populari consensu solum proba-  
 tam legem , ratam asseruisset , &  
 in loco probatarum adscripsisset ,  
 dicebaturque *παράνομων γραφή* ,  
 id est , perperam latæ legis actio:  
 ille qui accusabatur *οὐ παράνομον  
 ψήφισμα γράψας* , qui iniquum  
 & præter morem decretum  
 scripserit , qualiter fecisse An-  
 drotionem & Aristocratem , elo-  
 quentissimis orationibus mon-  
 strat Demosthenes. Verum de  
 hac rescripsi iam in tit. de actio-  
 nibus. Ab hoc civili & quot-  
 annis mutari solito magistra-  
 tu , fasti dies , bellorum tempo-  
 ra , fœdera , legationes , roga-  
 tiones , edicta promulgata , &  
 in summa ad privata usque ,  
 quæcunque rationem tempo-  
 ris

ris habebant adnexam, supputari & scribi solebant, veluti apud Romanos à Consulibus, hac forma, ἐπὶ ἄρχοντι & πολυκλῆες, μὲν δὲ βοηδρομιῶν & ἕκτη ἐπὶ δέκα, φύλης περὶ πανδύσεως πανδιονίδος, Δημοθένης παιανεύς ἔγραψε ψήφισμα. Principe Polycle, mensis Iulii decimasexta, tribu Pandionide iudices reip. exhibente, Demosthenes Pæaneus decretum tulit. Qui hic nominabatur, erat ἄρχων, de quo suo loco: quæ tribus adfertur, illa est cuius 50. viri ex quingentis sumpti Remp. tunc moderantur. Cæteri Græci ab Olympiadibus, Mosolami à Muhamede, nos à Christo, Judæi à mundi exordio, & quæque gens fere à capite persuasionis rationes in ita temporum. Ad alia nunc transirem, nisi horum iudicum officium me admoneret quadraginta civilium causarum iudicum apud Venetos: qui ut magis

ATHENIENSIVM. 81  
magis innotescant, paucis Reip.  
præstantissimæ morem indicio-  
rum exponere visum est. Ter  
quadraginta viri, non ita tamen  
magnæ authoritatis nobiles, eli-  
guntur ita, ut 24. mensibus tam  
capitalibus quam civilibus præ-  
sint, hoc modo. Primi quadragin-  
ta novi causis exterorum & pere-  
grinorum, quorum ingens Vene-  
tiis multitudo agit, octonis illis  
mensibus præsunt veluti loco ty-  
rocinii: post quod tempus urba-  
nis de rebus, substitutis in locum  
aliis, iudicant. In primo vero lo-  
co, ordo ille consilium novum,  
in secundo vetus, aut, ut vulgo,  
quadraginta civiles, dici solet.  
Iam exactis in duobus illis sede-  
cim mensibus, veluti probati,  
committuntur capitalibus causis  
iudicandis, loco civilium XL. vi-  
ri criminales dicti. Eam vero di-  
gnitatē tunc assequuntur, quan-  
vis sint ut plurimum iuniores, ut  
F in se-

in senatum admittantur, iusque suffragii etiam habeant in causis gravioribus. Ad hæc Triumviri ex illis in binos menses eliguntur sortito, qui præterquam quod ius suffragii habent, etiam Duci, qui magnus est honos, sua quisque vicissitudine assidere potest: parique cum ipso authoritate de rebus ipsis tam ad senatum quam ad magnum consilium potest referre. Forma vero iudicandi & in civilibus & in capitalibus causis ferme una est. Suffragiis enim fit, quod olim Romanis in usu fuit. Veneti enim causa ultro citroque agitata, habent tres diverso colore urnulas, in quarum unam condemnationis, in alteram absolutionis, in tertiam dilationis amplioris discussionis gratia, globuli linei demittuntur, ita ut nemo possit ex præiudicio alterius favori dare locum, nec etiam ex suffragii decidentis  
in

in urnam sono. Extracta suffragia imponunt causis finem. Romani non calculis aut fabis globulisve, sed duabus literis condemnabant aut absolvebant: duabus non liquere significabant. A, ut notavit Asconius Pedianus, salutatis erat litera, absolvi que reum petebat, C. tristis, condemnabat. N. L, non liquere notabat. In capitalibus causis à Græcorum usu Θ literam, qua Θάνατον, id est mortem significant, accepisse etiam Romanos, nigrumque theta appellasse, literarum monumentis reperio. Verū ad mea me recipio.

## CAP. VIII.

*De Arbitris.*

QUIA causarū civilium maior numerus quotidie oboriebatur, quam quibus terminandis, & novis audiendis satis essent quinquaginta viri tribuum: ut hic succurreretur, quadraginta quatuor